



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiæ

In Qvinque Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

Wion, Arnold

Venetiis, 1595

Reges, habitu tantum monachi, sed no[n] professione. cap. VIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38397

ellexisset, spiritu afflatus diuino, & salutari poenitentia percitus, habitum religionis sumens in solitudinem patriæ se recepit, & qui ferociores se hominibus exhibuerat, eo mitiorem deinde se Deo præstitit, & sic bonis operibus plenus Polæ, ubi & sepultus est Deo Opt. Max. spiritum reddidit. Religionem intrauit anno Christi, 1077. regni sui 11. *Antonius Bonfinius de rebus Vngaricis Decadis 2. li. 4. & Abrahamus Baxschaj, in chronologia regū Vngariæ. Michael Rignus de Regibus Hungariæ, lib. 2. & quidam alius versificator in hoc efflicto.*

Donec ad extremum, pietatem vestre professus,
Mortua desertis condidit ossa locis.

Reges, habitu tantum monachi, sed non professione.

Cap. VIII.

S. Sebbi, Saxonum Orientalium Rex.

SEBBI, Saxonum Orientalium in Anglia Rex VII. cum annos 30. in regno exegisset, correptus infirmitate graui, licentia agre ab uxore obtenta vt Dei tertio se mancipare posset, Valdere Episcopum Londoniensem adiit, & per eius benedictionem habitum religionis in monasterio SS. Petri, & Pauli Londini, quem diu desiderarat accepit, summa pecuniæ non parua prius pauperibus erogata: & paulo post quasi leniter obdormiens, sine vlllo sensu doloris emisit spiritum, anno Domini 676. die 29. Augusti. *Beda in hist. Angl. lib. 4. c. 11. & alij neotherici qui ab eo acceperunt.*

S. Vuenceslaus Boiemie Rex.

SVENCESLAUS, primus Boiemie Rex, cum emissio uoto monachari iam decreuisset, & ea de causa ad Pontificem Romanū legatos misisset, ut benedictione sua percepta liceret ei inter Diui Benedicti sodales vitam agere, insidiis matris & fratris circumuentus, & in conuiuio occisus, quod pie concupierat & vouerat, ad perfectum perducere quamuis impie sit prohibitus, martyrio intercedente, palmam tamen monachismi non amisit. Coronatus est monachali, & martyrii corona anno Domini 938. die 28. Septembris. *Aeneas Silvius in hist. Boiemie, c. 15. & Ioannes Dubravius in hist. Boiem. lib. 5.*

Baldni-

Baldunus II. Hierosolymorum Rex.

BALDUNVS huius nominis II. tertius Hierosolymorum Rex cum in grauem aegritudinem incidisset, & videns sibi mortis imminere diem, de propriopalatio egressus, supplex & humilis, regio sibi deposita, in conspectu Dei, in palatio Patriarchæ, quia loco Dominicæ Resurrectionis erat uicinior, se transferri disposuit, ibique uocatis Filia & Genero, coram regni principibus, regni curam eis tradidit: ipse autem uerus Christi confessor, habitum religionis assumens, & uitam regularem, in cœnobio S. Sepulchri transigendam, si uiueret, professus, paulo post spiritum Deo reddidit, anno 1131. die 21. Augusti, regni sui 13. sub Monte Caluaria in Golgotha sepultus, Gulielmus Episcopus Tyri de bello sacro, lib. 13. c. 28. Ioannes Nauclerus, lib. 2. chronographiæ, generatione 38. & alii.

Stephanus II. Hungaria Rex.

STEPHANVS huius nominis II. decimus Hungarorum in Pannonia Rex, multis rebus pace & bello præclare gestis, duodeuigesimo potestatis suæ anno, Christi 1131. regno se abdicans, in penitentiam signum, monachalem habitum Agriæ sumpsit, & in eodem ibidem diem extremum clausit. *Ant. Bonf. Decad. 2. lib. 6. & Abrahamus Baxschay in chrono. regum Hung. et alius quidam sic de eo uersificati.*

Mortuus informi restituit membra cucullo,

Hæc pia mutata symbola mentis erant.

Ioannes Raulinus in sermone ultimo super epistolas totius anni, quem perquitur & Gonsalvus Illescas in hist. pontif. lib. 5. c. 1. hunc pro S. Stephano primo, Hungariæ Rege agnoscunt, & Casini uitam monasticam egisse dicunt: sed errant in æquinocis, nunquam enim S. Stephanus primus monachus fuisse perhibetur, nec hic secundus monachus Casinensis, sed Agriæ, monasterio Casinensi subiecto, ut & reliqua Hungariæ cœobia, in his igitur ueniunt emendandi.

Ericus, Daciæ Rex.

ERICVS, huius nominis VI. Daciæ Rex LXXVIII. cum in lethalem morbum incidisset, quia corpori non poterat, Spiritui consiliter cupiens, regiam vestem cucullo Benedictino permutat, uocataque militum cohorte, palam regno renunciat, anno Christi 1190. regni sui decimo. *Albertus Crantzius Dania, lib. 3. c. 23.*